



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Baptismus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

nionibus dictis, immò addidit, inter scholasticos communiorem esse sententiam non requirentem hujusmodi amorem; & sanè si sententia hæc, quam Pontifex dicit esse communiorem, solum esset probabilis, & non tuta proculdubio exponeretur periculo frustrationis Sacramentum, undè non liceret eam in praxim deducere; cum autem Pontifex sententiam excludentem hanc necessitatem non solum non damnaverit, sed etiam dixerit, eam esse communiorem inter Scholasticos, profectò videtur illam, ut tutam tolerare, atque adeo solum ad dissensiones vitandas voluit vetare, nè alterutra ex sententiis censura ulla notaretur.

BAPTISMUS.

38. **Q**Uæritur. An sit licitum baptizare in minima parte corporis v. g. in digito, in capillis &c.

Resp. Esse peccatum mortale ita baptizare extra necessitatem, quia hæc opinio est minus tuta circa valorem, ideoque non licet eam deducere in praxim; idem dicendum de baptismo infantis pelle secunda circumdati.

39. **Q**Uæritur. An liceat baptismum conferre in liquoribus ex herbis expressis, aqua ex sale resoluta, jusculo, lixivio &c.

Resp. Quamvis non improbabiler opinentur aliqui, tales liquores non differre specie ab aqua naturali, ideoque baptismum esse validum in his materiis collatum, tamen quia opposita sententia est tutior, & versatur circa valorem Sacramenti, erit grave peccatum ministrare baptismum.

rum in dictis materiis, extra necessitate.

40. Quæritur. An in baptismo liceat uti forma tantum probabili, ut ver. gr. baptizetur Petrus à Deo, vel ego te baptizo in nomine Christi; vel ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque?

Resp. Graviter peccare ministrum, qui aliquo ex modis relatis proferret formam baptismi, quia opiniones oppositæ sunt tutiores, & versantur circa valorem Sacramenti.

41. Quæritur. An ad valorem baptismi requiratur contritio, vel saltem attritio?

Resp. Neutram requiri, ad valorem, ad effectum verò Sacramenti requiritur attritio in adultis ratione utentibus.

42. Quæritur. An baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, prætermisiss illis: Ego te baptizo; aliquando fuerit validus?

Resp. Negative, & primò constat ex cap. quis. De baptismo, ubi Alexander III. hæc habet: *Si quis puerum in aqua immerferit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & non dixerit: Ego te baptizo, non est baptizatus.* Constat hoc etiam ex Florentino, ubi dicitur: *Si exprimaturs actus, quò per ipsum exercetur ministrum cum SS. Trinitatis invocatione perficitur Sacramentum;* ubi significatur utrumque esse exprimendum, & actionem ministri, & mysterium ineffabile Trinitatis: ratio est, quia Christus Dominus voluit de facto materiam, & formam symbolicum in omnibus Sacramentis institue.

tuere, quæ scilicet significarent effectum spirituales, quem causant, & causarent effectum, quem significant, ita ut expressius per formam verborum, quam per materiam id significaretur, constat denique ex decreto Alexand. VIII. damnantis prop. 17.

43. Quæritur. An validè baptizet, qui omittit pronomen: Ego?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia ego non est de necessitate Sacramenti; cum per verbum baptizo implicitè exprimat minister; peccaret tamen qui cum advertentia illud ommitteret.

44. Quæritur. An validus sit baptismus collatus sub hac forma: ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis?

Resp. Negativè, sed est necessaria explicita expressio, & invocatio personarum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

45. Quæritur. An valeat baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò apud se resolvit; *non utendo facere, quod facit Ecclesia?*

Resp. Affirmativam sententiam esse expressè damnatam ab Alexand. VIII. cum propositione 28. quia est de fide contra hæreticos ad valorem Sacramentorum requiri intentionem saltem virtuales in Ministro faciendi, quod Christus instituit, seu quod facit Ecclesia, Tridentinum enim sess. 7. canon. II. habet: *Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta consciunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit*, quod etiam definitum fuerat in Florentino in decreto fidei ab Eugenio IV. & Leo X. contrarium errorem damnaverat in Bulla contra Lutheram.

B

46. Quæ-

46. Quæritur. An deficiente intentione in baptizante faciendi, quod facit Ecclesia, Deus ex sua infinita bonitate conferat puero gratiam sine vero baptismo?

Resp. Aliqui affirmant, sed communissima sententia negat, adeò ut opposita putetur omninò improbabilis, ac virtualiter damnata; sicut enim non suppletur baptismi defectus, nec confertur gratia, quando deest aqua, aut quando aqua est putata tantùm naturalis, ita neque quando deficit intentio necessariò requisita ad valorem baptismi, cum obstet lex illa divina *Jo: 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*, aliter nullus infans ex misericordia divina decederet cum originali sine gratia justificante.

47. Quæritur. An in baptismo sequenda sit semper pars tutior circa valorem?

Resp. affirmativè, extra casus necessitatis, ratio est, quia si in baptismo eligeretur opinio minùs tuta; sequerentur magna incommoda in perniciem salutis animarum, hinc proscriptæ sunt oppositæ opiniones *ab Innoc. XI. cum prop. I.*

BENEFICIARIUS.

48. Quæritur. An Beneficiarius non recitans divinum officium teneatur in conscientia restituere fructus beneficii ante sententiam declaratoriam Judicis?

Resp. Beneficiarium, qui culpabiliter omittit horas Canonicas, elapsis sex mensibus à die possessionis, teneri in conscientia restituere ante Judicis sententiam, ut patet *ex propositione 20. inter damnatas ab Ale-*

Ale-